Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De vita Francisci Xaverii, qui primus e Societate Jesu in Indiam & Japoniam Evangelium invexit - Cod. Ettenheim-Münster 188

Torsellini, Orazio

[S.l.], nach 1607

Caput XVII.

urn:nbn:de:bsz:31-115990

Visual Library

admirantes, incepto pariter destiterunt. faustaque illi precati, non sine desiderio ac sollicitudine dimittunt tanta discrimina subiturum.

Malacae multa gerit memoriâ digna.
Caput 23.

Goâ discedens Xaverij Paulo Cam. olim Collegij Rectori, quem sui muneris vicarium tantisper constituebat, praecepta sanè salubria consignata literis reliquit. Quorum illud caput erat, ut Christianae magis demissionis quàm potestatis memor, in Patres omnes imperium gereret paternum; cum incommodis omnibus ac difficultatibus sedulò atque impensè subveniret: deque omnibus rebus ad Societatem ac socios pertinentibus ad se in Japoniam semel in anno perscriberet. Inde Xaverij socios certatim in Japoniam eum sequi expetentes ita solatus est, ut spem ostenderet, aditu patefacto, omnes evocandi: interim ipsos in suâ mente & corde insidentes, secum ituros. Rebus igitur omnibus compositis & profectione comparata, unà cum Paulo S. Fidei Japone, Cosmo Turriano, Joanne Ferdinando, paucisque alijs socijs, Goa solvit, Aprili mense, anno post Christum natum M. D. XLVIII. Vehebat Franciscum ingens rostrata navis, cui praeerat Jacobus Noronia. Hunc igitur caeterosque vectores suâ illa comitate sibi devincire coepit, aditum ad eorum curandos animos parans. Quocirca spectare ludentes latrunculis, alios verecundanter ad ludendum hortari; multa super ludum facetè ac salsè dicta miscere. At Noronia, qui nondum nosset eum familiariter, etsi comitate captus, tamen

Sanctimoniae

Paternum imperium

Comites Japonicae navigationis

ſanctimoniæ eius famam obterebat verbis. Nam cum familiaribus de illo colloquens dictitabat, unum è populo Franciſcum videri, nec illius ſanctitatem reſpondere famæ. Cæterum brevi celatæ virtutis fulgor enituit. Cum aquandi neceſſitas navigium appulisset ad terram, ea navis cum alijs quibusdam descendit: illisque aquantibus, terræque desiderium, ut fit, paulisper explentibus, ipse in desertum ac ſolitarium ſecessit locum, cæleſte numen sine arbitris oraturus. Iam navis aquatoribus receptis erat vela facturus, cum ſensit Coronius abeſſe Xaverium. Extemplo igitur certos homines dimittit, qui propere eum revocent ad navim. Hi oculis ac vocibus nequicquam per littora diu quæſitum, tandem in ſecessu reperiunt, alienata à ſensibus mente, ſupplicantem Deo. Exin huius rei fama per totam navim vulgata, tantus Coronium cæterosque ſtupor injecit, ut Franciſci ſanctimoniam eximiam, pari comitate junctam, venerari pariter ſuspicerent, obtrectatione in obſervantiam versa. Quæ res ad ſanandas eorum mentes, utilitasque obolenda, momenti vel plurimum fuit. Franciſcus porrò ex itinere Cocinum tenuit mox ad Franciſcanos ſuo instituto divertens benignè ab eis accipitur. Ibi primores civitatis Franciſcum adeunt, et aliquot è Societate ad pueriles ætates civitatemque universam inſtituendas efflagitant, ſedes idoneas ac neceſſaria omnia pollicentes. Xaverius tam juſtum poſtulatum rejicere nolens, totius rei arbitrium Petro Gonzalo, Epiſcopi Vicario permittit, in Japoniam

Orat Deum alienatâ à ſensibus mente

Ad Franciſcanos divertit

pomonire

peruenire festinans, in quam omnes intenderat
curas. Inde Sanciano amplius XL. dierum naviga-
tione usus, pridie Kalendas Junias appellit Ma-
lacam. Et apud Socios magno cum eorum gaudio
diuersatur. Per id tempus Alfonsus Castrus è So-
cietate JESV, is qui postea in Moluccis ab Sara-
cenis ob Christianam religionem occisus est,
primum ibi sacrum solenni ritu fecit, ingenti
ubique neophytorum laetitia, quorum oculos ce-
rimoniae illius nouitas ad se se conuerterat.
Eius sacri celebritatem Xauerius suo coho-
nestauit. Per id tempus Malacensem ciuem
veterem Francisci amicum, non pertinacior quam
perniciosior urgebat febris: et corporis mor-
bum animi aegritudo cumulabat. Is igitur
simul ac primum de Xauerij aduentu nun-
tius, morbum ut fieri solet fieri spernitur; ve-
stimenta poscit, amicissimum hominem salutandi
studio aditurus. Caeterum inter induendum
tibialia linquente animo, inter domesti-
um collabitur manus. Franciscus ergo certior
factus, properè ad eum venit: sed insanientem
offendit, nec minus de animi, quam de corpo-
ris salute desperandum. Itaque pro amico ali-
quot Deo sacrificia vouet: idque votum Deo
cordi fuit, extemplo ille sanitatem mentis recu-
perat: peccata confitetur: aequissimo animo
moritur. Haud sanè inutilius, dum Japonicae
nauigationis facultatem exspectat, in ciuibus
Malacensibus operam posuit, quam in Diario
posuerat. Perditorum quippe mortalium pluri-
mos, maximeque meretrices, illecebris captos, ex
inferni Draconis eripuit faucibus; quorum numero
sic ut vox

Malacensis cu-
iusdam insanien-
tis sanitatem men-
tis recuperat.

ut ex uno de reliquis fiat conjectura. Mer-
cator quidam fuit, septem domi suæ alens uxor-
bo ancillas, re vera pellices. Id enim ubi rescivit
Xaverius, rem primò dissimulavit, aptum tempus
expectans: deinde festo quodam die perditum
hominem nactus; Christo videlicet autore, qui
Zachæo publicano ultro se ad cœnam obtulit;
comiter rectè se apud eum, nisi molestum sit,
prandere dixit. Ille enimvero ancillis suis ti-
mens; æstuare primò, versare se in omnes par-
tem. Ad ultimum pudore stimulante, ne inimi-
ti tales virum domum suam recipere videretur,
annuit. Igitur, composito ad humanitatem
vultu et oratione Xaverium deducit ad pran-
dium. Convivium lautè apparari jubet: discum-
bitur: formosæ famulæ ministrant. Suspi-
cabatur hospitem sentiret, quod cum uxorem ha-
beret nullam, tales ancillæ ministrarent: ac
sollicito suspensoque animo Francisci existima-
tionem verebatur. Id cum ille, ut erat homo
sagax ac prudens, persensisset, verecundantem
omni metu liberandum ratus, consilium altius
suppressit suum. Ergo protinus, quasi omnia
in meliorem acciperet partem, apposita fercula
commendare, famulas ipsas condimentorum
artifices comiter alloqui, nominaque et patriam
sciscitari, quam pridem Christianæ essent, exquirere.
Mercator ut facilitatem illam ac simplicitatem
aspexit hominis, de tot uxoribus ancillis, in tanta
famulorum solitudine, nihil, ut videbatur, suspi-
cantis; respiravit primò: denique cum nullum
omnino super ea re verbum illo die factum
esset; semotus reprehensionis, Xaverium iterum
ac sæpius

Mercatori septem sub ancillis concubinas

Prudentia in dissimulando

ac sumptu suapte sponte invitavit ad coenam.
Et Franciscus perpetuo suum illud artificium te-
nebat, ut rem solerti dissimulatione premeret;
donec in eius familiaritatem bene penitus se de-
dit; seriisque colloquiis pervestigavit, quam ex
illis mulierculis praecipue haberet in deliciis.
Ad ultimum, ubi, quod mente conceperat, bene
maturum visum est; comiter (ut solebat:) Quor-
sum tandem, inquit, tantum ancillarum praesertim
ubi nulli sunt famuli? si me audies, unam
aut alteram ex hoc numero dimittes. Cum ille
Francisco comiter instanti morem gerens, unam
missam fecisset: alio die ad coenam adhibitus a Xa-
verio, factum laudando haud aegre perpulit eum
ut dimitteret alteram. Neque interea desistebat,
quacunque ratione poterat, clam eius oppugnare
delicias: ut amore labefactato, nequitiae arcem
facilius expugnaret. Aliquot dierum spatio inter-
misso, rursus super coenam tertiam subduxit, dein
de quartam. Atque paulatim singulas detrahendo
detraxit universas. Ad extremum, mercatorem
ipsum, divino jam instinctus numine, ad peccata
confessione expianda perduxit: mulierculas illas
honeste collocandas curat, haud in multiplici
morbo curando, quam in morbi causis in perpe-
Prudentia in reprehendendo. tuum tollendis, prudentior. Consimili ratione
cum immodicae linguae hominibus utebatur,
non in urbe solum, sed etiam in navi. Si quando
aliquid ab aliquo contumeliose aut improbe dictum
audisset, nullam in praesentia prae se ferebat
indignationem, neque statim ad reprehendendum
accedebat: sed in admonendi occasionem imminens
temporis ac loci captabat opportunitatem: ne
forte, (ut plerumque fit:) sauciam mentem exulce-
raret

raret magis admonitio, quàm sanaret. Itaque
medicus actionum mirificus, ut lenitis jam animis
remedium adhiberet, primum se in eis, qui ad-
monendi erant, familiaritatem insinuabat; deinde
seducebat eum, et sine arbitris comiter pro
amicitia morem mirari se dicebat talia illi
verba excidisse. Ita consequebatur, ut qui
peccassent, & agnoscerent peccatum, et corri-
gerent. Piratico vectus lembo, tandem navar-
cho & dæmonibus invitis in Ja-
poniam appellit.

Cap. XIX.

Dum Malacæ in Christianæ caritatis mu-
nia intentus maximè elaborat, tandem advenit
Japonicæ profectionis dies. Igitur seu Lusi-
tanæ navis facultate destitutus, seu potius
Neophytorum, quos secum ducebat, saluti con-
sulens, caput suum Barbaro prædoni; ideò
omnia tuta rebatur divina curantibus, com-
mittere sustinuit. Verebatur, quippe ne Japo-
nes tres neophyti, itineris comites, gravius
offenderentur in Lusitanis, si Christianos homi-
nes aliquâ in re peccare sensissent. Proinde
Sinam Ethnicum nactus, cui haud ex vano
cognomen erat Latro, egit cum illo, uti Sinas
prætervectus, se unà cum socijs in Japoniam
recta transmitteret. Ergo pignoribus cum sibi
cavisset, divina confisus ope magis quàm fide
barbari hominis, lembo piratico, cuius ipsi no-
men erat, credit sese. Solvitque Malaca mense Ju-
nio, ipso S. Joannis Baptistæ natali die. Et
usus est satis quidem secunda commodáque na-
vigatione; cæterùm naviculario parùm sincero
crudelique